



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0589

Sabato 02.10.2010

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DEL MILLENARIO DELL'ABBAZIA DI SAINT-PIERRE DE SOLESMES (FRANCIA) (12 OTTOBRE 2010)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DEL MILLENARIO
DELL'ABBAZIA DI SAINT-PIERRE DE SOLESMES (FRANCIA) (12 OTTOBRE 2010)

In data 7 agosto 2010, il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato l'Em.mo Card. Jean-Louis Tauran, Presidente del Pontificio Consiglio per il Dialogo Interreligioso, Suo Inviato Speciale alla celebrazione del millenario dell'Abbazia di Saint-Pierre de Solesmes (Francia), che avrà luogo il 12 ottobre 2010.

Il Cardinale Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti religiosi:

- Dom Michel Du Merle, monaco che, tra gli altri incarichi, si occupa del dialogo interreligioso;
- Dom Bertrand Gamelin, monaco bibliotecario dell'Abbazia.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Jean-Louis Tauran:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro

IOANNI LUDOVICO S.R.E. CARDINALI TAURAN

Pontificii Consilii pro Dialogo inter Religiones Praesidi

Millesimo recurrente anno a dedicatione Abbatiae Sancti Petri Solesmensis, dignum omnino videtur singulare hoc faustum eventum magno cum iubilo memorari. Miram consideramus divinae Providentiae tutelam in hunc locum, quondam a domino Godefrido conditum, quod plures historiae eversions ac turbationes persistere potuit, tot per generationes Deo servire eiusque laudem cotidie extollere diligenti oratione et labore, praesertim verum pulcherrimo canto Gregoriano qui maxime ibi a monachis colitur. Ideo gaudentes notitiam percepimus

hoc in monasterio annum iubilarem fieri. Ad maiorem profecto honorem tribuendum huic fausto iubilaeo Reverendissimus Pater Philippus Dupont, O.S.B., Abbas Solesmensis, a Nobis petivit ut eminentem Praesulem mitteremus qui Personam Nostram gereret.

Permoti quidem pia eius postulatione, decernimus mittere Patrem Purpuratum ad proximum dictae Abbatiae festum diem sollemniori ritu celebrandum. Ad te autem fidentes recurrimus, Venerabilis Frater Noster, qui Gallicae Nationis praestantissimus es filius Nobisque carissimus, quique iam tot per annos Romae ministerium tuum fideliter praestas in Sedis Apostolicae et universalis Ecclesiae utilitatem, primum quidem in Secretaria Status, nunc autem veluti Pontificii Consilii pro Dialogo inter Religiones Praeses. Quapropter hisce Litteris Missum Extraordinarium Nostrum te nominamus ad sollemnem celebrationem millesimi expleti anni a dedicatione Abbatiae Sancti Petri, quae Solesmae persolvetur die XII proximi mensis Octobris.

Hoc die igitur liturgicis celebrationibus Nostro nomine praesidebis Nostramque benignam omnibus significabis salutationem. In precibus clementi Deo grato animo commendabis omnes defunctos monachos Benedictinos cunctosque Abbatiae benefactores. Congregatos inde invitabis ad catholicae fidei, spei et caritatis aequam testificationem, potissimum ad fidelitatem servandam erga Dei mandata necnon antiquam christianam et religiosam traditionem.

Comitetur missionem tuam valida intercessio Beatissimae Virginis Mariae, Matris Ecclesiae, atque insignis Abbatis et Patriarchae sancti Benedicti. Benedictionem denique Apostolicam, caelestis gratiae auspicem atque propensae Nostrae voluntatis testem, tibi in primis impertimus, Venerabilis Frater Noster, eamque illius communitatis sollicito Abbati omnibus cum sodalibus, ceteris adstantibus Episcopis, sacerdotibus, religiosis viris et mulieribus, christifidelibus laicis, civilibus auctoritatibus omnibusque iubilare laetitiae participibus nomine Nostro largiaris volumus.

Ex Arce Gandulfi, die XIII mensis Septembris, anno MMX, Pontificatus Nostri sexto.

BENEDICTUS PP. XVI

[01320-07.01] [Testo originale: Latino]
